




Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-208011-p0001-8

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-208011-p0002-4

DFG

8923

1769,38.

12

4
—

DISSERTATIO IVRIDICA

*Quaedam capita feudi quod Germanice vocatur ein Lehn-Stamm
continens,*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE
DECEMVIRO.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. MART. MDCCCLXIX.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES GODOFREDVS FVNKLERVS.

L I P S .

L I P S I A E
EX OFFICINA BREITKOPFIA.

Dissertatio iudiciorum

Quae in iudiciorum de rebus Germanicis

et in iudiciorum de rebus Gallicis

comparatur.

Quam

in iudiciorum de rebus Germanicis

et in iudiciorum de rebus Gallicis

Dicitur Gottlieb Sopirio

magister iuris utriusque causae et iudiciorum de rebus Germanicis

et iudiciorum de rebus Gallicis iudiciorum de rebus Germanicis

iudiciorum de rebus Gallicis

In iudiciorum iudiciorum

et iudiciorum de rebus Germanicis

et iudiciorum de rebus Gallicis

Iohannes Gottlieb Sopirius

1741

1741

1741



§. I.

Omnis definitio, ait ICTus l. 202 ff. de Reg. Iur. in iure ciuili periculosa est, parum est enim ut non subverti possit. Haec regula, quamuis ICTus tan-
tum de iure ciuili dixerit, et ad alia iura non immerito ad-
plicatur. Minima etenim circumstantia circa causam,
quae decisionem expectat obueniens, efficit, vt ICTus singu-
lari opinione ductus, a regula communi aberret, et sen-
tentiam nouiorem eandemque subtiliorem formet. Hinc
fit, ut sententia ab hoc vel illo collegio lata, ab alio, inter-

a 2

posito

posito remedio, si iudici nouitatis studium placet, reformari soleat. Contingit hoc potissimum circa iurisprudentiam feudalem, quae, cum ex diuersis principiis conflata conspicatur, incertum in iudicando modum praebet. Quem enim fugit Ius Longobardicum corpori iuris Iustinianei ultimo loco adiectum tanta laborare incertitudine, ut decisio causae vix adaequata inueniri possit. Infelix est fatum quod huic contingit compilationi, quae auctorem, cuius dexteritas rei pondus addit, indicare nequaquam valet. Rapsodiam inuenies diuersorum Principiorum, quae ex iure ciuili, Constitutionibus Imperatoriis, Consuetudinibus Mediolanensis et Praeceptis Papalibus sunt desumpta, et inadaequatam rei decisionem saepiuscule quoque contradictionem evidenter inuoluunt.

§. II.

Sed cum haec ab aliis iam prolixiori stilo elaborata inueniantur, nec nostra sit intentio generaliter de feudis differere, et eorum notionem pariter ac diuisiones recensere, omissis illis propriis ad rem accedimus. Diuersa hucusque Doctorum fuit sententia, quid per pecuniam quam

Germa-

Germanice vocare solemus den Lehn-Stamm, sit intelligendum. Quae materia cum interpretationem quandam promereatur, breuiter, ita tamen, ut quid de definitione, requisitis et effectu sit monendum non omittam, tractabo.

§. III.

Consistit vero der Lehn-Stamm in certa quantitate pecuniae, quae sublata natura boni allodialis a Domino directo alteri praestitis iis, quae ad substantiam pariter et naturam feudi pertinent in feudum conceditur. Requisita itaque si ad notionem respicere voluerimus sunt 1) pecunia 2) mutatio ex voluntate Domini directi in feudum. Ex quibus diiudicanda erit quaestio, vtrum illud feudum proprium vel potius improprium dici debeat. Priorem sententiam amplectitur Daegenerus in seinem gründlichen Unterricht vom Lehn-Stamme et pag. 131. reprehendit Foersterum, qui in tractatu vom Lehn-Stamme cap. II. §. 2. notionem feudi improprii huic pecuniae attribuere voluit. Sed merito dubitamus, vtrum Daegneri sententia praeualeat, cum diuisio quam inter feudum rectum, non rectum et improprium suppeditat non omnibus numeris

Quaedam capita feudi,

absoluta dici possit. Feudum etenim regulariter circa rem immobilem versari ferme omnes consentiunt: Horn. Iurispr. Feud. Cap. II. §. 9. hinc Duarenus feudum dixit rem immobilem, quae fidei seu obsequii causa certo modo alicui fruenda traditur. Conuenit illud dispositioni iuris feudalis II. F. I. *sciendum est autem, feudum siue beneficium non nisi in rebus soli aut solo cohaerentibus consistere.* Quod si itaque pecunia neque naturaliter, neque ciuiliter pro re immobili habeatur, liquido constat, feudum in pecunia consistens, in eo recedere a regula communi, et hinc inde impro prium efficere, quam sententiam confirmat Struv. in Syntagm. Iur. Feud. cap. 4. §. 2. p. III.

§. IV.

Nec obstat textus II. Feud. 25. secundum quem nummi in feudum dari posse adfirmatur. Agitur enim in hoc loco de casu speciali, ex quo decisio generalis, quae aduersariorum sententiam defendit, non potest desumi. Vassalus nempe sine culpa amiserat feudum, agebat contra dominum directum, qui, dum rem alienam in feudum dederat, ad euictionem praefstandam tenebatur. Probata causae

eausae iustitia condemnatur Dominus directus, vt vasallo vel aliud eiusdem aestimationis, quod erat tempore rei iudicatae, feudum restituat, vel nummos ex quibus feudum comparari possit, soluat. Ex quibus apparet, nummos non constituere feudum, sed id tantum efficere, vt pro illis in locum prioris feudi cuiuslibet aliud surrogetur.

§. V.

Alterum requisitum in eo consistit, vt dominus directus pecuniae qualitatem feudalem tribuat, et vasallo inuestituram consueto modo praestet. Nemo etenim secundum textum II. F. 1. feudum adquirere potest, nisi in-vestitura aut successione, multominus bonum allodiale qualitatem feudalem adipiscitur, nisi is penes quem res in feudum dandi potestas est, consentiat, quippe ius va-sallo competens dependet ex sola benevolentia domini directi, qui rei plenissimum usum sub conditione mutua, fidelitatis eidem concedit. Quam ob rem Constitutione Electorali XXX, P. III. expressis verbis dicitur: Und wenn das Geld durch den Lehnherren zu Lehn gemacht wird, so soll es vor Lehn gesprochen werden. Ad cuius

cuius rei probationem necesse est, vt in litteris inuestitu-
rae exprimatur clausula, daß der Lehn-Herr dem Gelde
die Art und Eigenschaft des Erbes benommen, und es zu
Lehn gemacht, oder in Lehn verwandelt, de quo conserri
potest Moller ad Constit. Elect. XXX. P. III. n. 12. Struv.
in Syntagm. Iur. Feud. c. 4. §. 3. p. 117.

§. VI.

Exinde diiudicanda quaestio, vtrum pacto inter agna-
tos inito pecunia ex feudo redacta pro feudo habeatur.
Negatiuam sententiam fouet Hornius in Exam. Iuris Feud.
cap. IV. §. 36. Stryk in Exam. Iuris Feud. cap. IV. quaest.
27. et Carpz. P. III. C. Elect. XXX. def. I. n. 5. Et vti-
que hoc assertum meretur applausum, cum regula, quod
res succedat in locum pretii tantum, quatenus sermo est
de vniuersitate, non vero si res singularis obueniat l. 8.
C. si quis alteri, vel sibi sub alt. nom. l. 9. C. de rei vind. 148.
§. ult. ff. de furt. locum obtineat. Probat et hanc senten-
tiam textus II. F. 26. §. si vasallus de beneficio, in quo loco
traditur, pecuniam, vel aliam eiusmodi rem, quam trans-
actionis nomine quis pro feudo accipit, non esse feudum,

quem-

quemadmodum nec vasallus, qui ex pecunia quam distracto feudo antiquo accepit, aliud adquirit, eidem qualitatem feudi antiqui attribuere potest.

§. VII.

Sed quid sentiendum est de agnatis, ex quorum voluntate pactum celebratur, num respectu eorum effectum praefset. Stryk in Exam. Iuris Feud. c. IX. qu. 37. simpliciter affirmat, tale pactum eousque valere, ut instar feudi in tali pecunia succedatur. Sed maximopere dubito, quod pactum ita generaliter conceptum hoc efficere queat. Cum enim vti in antecedentibus demonstravi nuda conventione partium non fiat feudum, quomodo quoae agnati ex tali conuentione sibi successionem feudalem exclusis heredibus allodialibus adquirere possunt praesertim cum regula, quam profert Vlpianus l. 7. §. 16. ff. de pactis, pacta nempe contra rei naturam interposita inualida esse, huic conuentioni obstat. Nec accedens iuramentum statum causae mutabit. Quamuis enim alias iuramenti religio obligationi inducit efficaciam, id tamen tantum locum habet, si actus praecedens cui

B

acce-

Quaedam capita feudi,
accedit iuramentum, legibus non repugnet, cum accesso-
rium in regula sequatur principale,

§. VIII.

Aliud est, si pactum inter agnatos eo dirigatur, ut pecunia ex feudo redacta exclusis heredibus allodialibus ad solos successores feudales pertineat, vel quod unum idemque est, ut instar feudi, in pecuniam istam succeditur. Ipse enim Dominus de pecunia et futura rei allodialis successione disponit, eandemque tantum ad certas restringit personas. Quod non solum ultima voluntate, sed etiam pacto fieri potest, cum inter omnes constet, pacta successoria iure praesertim germanico nullibi esse prohibita, dummodo non fiant in fraudem eorum, quibus legitima portio erat relinquenda. Quotiescumque enim illi detrimentum sentiunt, toties in promptu est querela inofficios; per quam haec pacta, quae vicem dispositionis testamentariae non immerito imitantur, impugnari et rescindi possunt. Contrarium equidem statuit *Matth. Coler P. I. dec. 94. n. 12. ex ratio-*

ne,

4

quod Germanice vocatur ein Lehiz-Stamm.

II

ne, quod pacta de futura successione inita I. vlt C. de
pact. pro inualidis declarentur. Ast cum ratio, quae in
citata lege Codicis decisionem efficiat sit specialis, et iure
hodierno contraria lege tollatur, eius sententia nullum
promeretur applausum conf. Struv. in Syntagm. Iur. Feud.
cap. IV. §. 6. p. 120. Carpz. P. III. Const. Elef. XXX
def. 4.

§. IX.

Duobus potissimum modis pecunia qualitate in feu-
dalem consequitur et instar feudi consideratur, vel enim
vasallus domino directo offert pecuniam et illum implo-
rat, vt hanc quantitatem in feudum recipiat; et solemnni
modo eidem inuestituram tribuat, quo casu dicitur feu-
dum oblatum, vel dominus directus proprio motu ex so-
la gratia vasallo propter merita tale tribuit, quod feudum
gratuitum sive beneficiarium vocamus.

§. X.

Exinde diiudicanda erit quaestio, vtrum vasallus, si
tertius contra illum agat, et feudum euincat, dominum

B 2

dire-

directum conuenire, et ut in locum pecuniae euictae aliam quantitatem substituere teneatur, petere possit. Negatiuam sententiam nonnulli amplectuntur et ex natura et indole euictionis praestationis eandem defendere student. In promtu ipsis est *l. 2. C. de Euictionibus.* Quoniam auus tuus, inquit Imperator, cum praedia tibi donaret de euictione eorum cauit, potes aduersus coheredes tuos ex causa stipulationis confestere ad euictionem praediorum, pro portione scilicet hereditatis. Nudo autem pacto interueniente minime donatorem hac actione teneri, certum est. Argumento huius legis ad denegandam euictionis praestationem contra dominum directum vtuntur, cuius asserti ratio in eo consistere debet, quia tale feudum vicem donationis sustineat, cum ex domini directi munificentia proueniat, et beneficium efficiat. Dominum directum itaque pro donatore habendum esse censem, et eadem iura quae donatori circa euictionis praestationem competunt, illi tribuunt.

§. XI.

Sed quamvis negare nunquam audeamus, in causis
lucratius cessare euictionis praestationem, nec donata-
rium in donatione siue incipiat, a promissione, siue tra-
ditione, haec enim distinctio legibus est incognita, ean-
dem petere posse, in feudo tamen quod vocatur *der*
Lehn-Stamm hoc vniuersitatem non valere iure defendi-
mus. Distinguendum potius putamus, vtrum vasallus
domino directo pecuniam, vt huic tribuat feudi qualita-
tem dederit, vel vtrum dominus directus proprio motu
super quantitate certa cum vasallo contractum feudalem
celebrauerit, et ex suo patrimonio eam pecuniae sub-
stantiam instar feudi constituerit. In priori casu cessat
euictionis praestatio, nisi aliter per pactum sit conuen-
tum; Quomodo enim vasallus contra dominum direc-
tum potest agere, cum pecunia, quae efficit feudum,
ex eius bonis non proficiscatur, et domino directo culpa,
quae euictionis praestationem auctori iniungit, imputari
nequeat.

B 3

§. XII.

§. XII.

Aliter vero se res habet, si dominus directus ex suo patrimonio certam pecuniae summam feudi loco de- derit. Non etenim dici potest vasallum feudum ex so- la causa lucrativa adquirere, adeo potius titulus onero- fuscus, cum vasallus intuitu huius substantiae se reddat obligatum ad praestanda ea, quae naturalia feudi effici- unt, nisi per pactum speciale remissio contingat. Con- tractus, qui eam ob causam inter dominum directum et vasallum celebratur, liquido confirmat, posteriorem ad fi- delitatem obligari, et intuitu huius feudi ab eodem fer- uitia exigi posse. Quotiesque vero is, ad quem res ti- tulo oneroso est translata, per euictionem rei sentit da- mnum, toties contra illum; a quo causam habet, et quem auctorem vocamus ad euictionis praestationem agere pot- est. Hinc vendor l. i. l. 66. §. ultim. ff. de Euictioni- bus respondere tenetur. Quibus praemissis deficit ra- tio, quae dominum directum, si eiusmodi feudum euin- catur vasallo, a praestatione euictionis liberum efficiat.

Est

Est enim auctor, a quo causam habet vasallus, quae dum accedit titulus onerosus eandem obligationem confirmat.

§. XIII.

Quod effectum huius feudi attinet distinguendum est, an tantum sit promissum, vel vere constitutum. In priori casu obligatio contra promittentem oritur, vi cuius actione personali ad satisfaciendum compelli potest: sed vtrum promittens, praestando id quod interest, se liberare possit, disceptationem mouet. Adfirmatiua sententiam tuetur Carpz. P. III. C. Elect. XXX. def. 9. Berlich. P. II. Concl. II. n. 37. cuius rei ratio potissimum ea videtur, quia existimant, obligationem tantum in faciendo consistere, quae secundum commune Doctorum opinionem praestationem eius quod interest, admittit. Ast negligere videntur discrimen, quod inter facta nuda et qualificata intercedit, quae posteriora eundem effectum, quem obligatio ad dandum producit, consequuntur. Quodsi enim naturam huius conuentionis

con-

considerare velimus, non consistit in sola praestatione operarum, sed inuoluit translationem iuris, quae cum per inuestituram fieri debeat, traditionem requirit, et obligationem ad dandum inducit. Hoc vero promissum regulariter nunquam praestationem eius quod interest admittit, cum alter qui ex tali conuentione semel ius quaeſitum acquisiuit, vt aliud pro alio recipiat, cogi nequeat. Confirmatur haec fententia argumento II. F. XXVI. si facta de feudo inuestitura poeniteat dominum, antequam poffitionem transferat, an praefando intereffe vasallo, liberetur, quaeſitum fuit. Responsum eft, praetermissa illa condemnatione dominum poffitionem feudi, de quo inuestituram fecit tradere, compellendum.

§. XIV.

Quod si autem accesserit inuestitura, et feudum vere constitutum, iura singularia consequitur pariter Dominus quam vasallus. Illi adquiritur dominium directum, vi cuius vasallus feudum fine eius et simultanea inuestitorum consensu alienare nequit, pari ratione et tenetur

netur vasallus casibus obuenientibus renouationem inuestiturae petere, quia hac omissa committit feloniam, quae priuationem feudi meretur. Quod enim II. F. LV. Praeterea si quis infidelatus maior quatuordecim annis sua incuria vel negligentia per annum et diem feterit, quod feudi inuestitram a proprio domino non petierit, transacto hoc spatio feudum amittat, et feudum ad dominum redeat. Cum quo conuenit textus I. F. XXII. §. 1. de feudis in genere dicitur, ad illud feudum, de quo in praesentiarum agimus, merito applicari potest, cum in eo passu naturalia feudi non sint sublata, quippe quae, nisi remissio pacto speciali possit probari, in dubio semper praesumuntur.

§. XV.

Vassallo ex eodem feudo omnem competere utilitatem, extra dubitationem est positum. Fit enim dominus utilis, et eadem iura quae ex dominio utili in legibus proueniunt, sibi vindicat. Eandem ob causam quoque a domino directo mutuam fidelitatem exigit. Dominus enim II. F. VI. in fin. vicem fidi suo reddere debet, quod si

C

non

non fecerit, merito censabitur maleficus. Feloniam enim et ex eius parte committi posse testatur textus *II. F. XXVI.* *Domino committente feloniam, ut ita dicam, per quam vasallus amitteret feudum, si eam committeret, quid obtainere debeat, de consuetudine quaeritur.* Et respondetur proprietatem feudi ad vasallum pertinere siue peccauerit in vasallum vel in alium. Nec obstat, quod dominus directus fidem expresse non promiserit, tacite enim id actum esse videtur, quando promisum vasalli recipit. *Horn. in Iurispr. Feud. c. X. III. §. 14.*

§. XVI.

Quaeritur hac occasione, an vasallus vi dominii utilis hanc pecuniae sumمام, quam vocamus den *Lehn-Stammum*, extra territorium domini directi transferre queat. Negamus in regula, quia est species alienationis. Alienatio vero feudi vasallo in legibus est prohibita, cum non libera ipsi de hac re competit dispositio. Distractio etenim feudi *I. F. XIII.* poenam amissionis inuoluit. Et domino directo *II. F. 40.* competit potestas omnes feudorum alienationes nulla obstante praescriptione reuocare. Competit

tit tamen vasallo haec licentia, si dominus directus ab initio sub conditione ut alienare liceat, feudum conceferit, vel simultanee inuestiti per pactum cum vasallo, qui ipsos in simultaneam inuestituram recipiebat, initum, alienandi facultatem vasallo reliquerunt, et dominus directus huic alienationi non contradicat. Et in eo potissimum consistit differentia inter notionem *des Lehn-Stamms* und *des Lehns* quanti. Hoc nisi facta specalia vel dispositiones locorum obstant, omni modo alienationi subest, et extra territorium transferri potest. Non enim est feudum, nec naturam eius sapit, sed consistit in quantitate pecuniae, cuius rei gratia in certo feudo consensu domini directi et simultanee inuestitorum hypotheca est constituta. Hinc id quod dicitur *das Lehn*, quantum non requirit inuestituram, sed plerumque est pecunia, quae coheredi ex feudo debetur, et speciali hypotheca confirmatur.



Corollaria.

1.

Iurisdictio feudo cohaerens nec separatim nec cum fundo locari potest.

2.

Vassalus feudo seruitatem sine consensu Domini in suum eorumque qui facta eius praeflant praeiudicium imponere potest.

3.

Filius qui ex iusta ingratitudinis causa ab allodii successione excludi potest, etiam domini directi consensu accidente a successione in feudo antiquo nunquam excluditur.

4.

Donatio rite facta ob superuenientiam liberorum reuocari non potest.



ULB Halle
004 053 532

3



88



B.I.G.



8923

1769, 38.
12

DISSERTATIO IVRIDICA

*Quaedam capita feudi quod Germanice vocatur ein Lehn-Stamm
continens,*

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P.P. ECCLES. CATHEDR. MARTISBURG. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDIC. LVSAT. INFERIOR. NEC
NON FACVLT. IVRID. ASSESS. ET ACADEMIAE
DECEMVIRO.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXI. MART. MDCCCLXIX.

P V B L I C E D E F E N D E T

IOANNES GODOFREDVS FUNKLERVS.

L I P S .

L I P S I A E

EX OFFICINA BREITKOPFIA.

